TOMI I. PARS VII.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis

MONITA

DE

NECESSITATE

REFORMATIONIS ECCLESIASTICÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS,

In principio Concilii Constantiensis consignata,

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex *vetustissimo codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS

eruta ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NICOLAUS DE CLEMANGIIS
in Epistola ad Censorem
Ex antiquo MSCto Wolffenbuttelensi.

* † *

Si Virum hunc egregium
Cujus similes anni nostri raros habent
quos quidem viderim
Imo qui nostra nebulosa tempora tanquam
clarum aliquod sidus illustrat
PETRUM DE ALLIACO
me laudare non vultis,
quem laudari in terris dignum ducetis?
Non video
in literis & copia doctrinæ
in singulari & circumspectissima providentia
in solertia mirabili
in vitæ honestate
morum gravitate
fidei integritate
in dictorũ simul & factorum librata moderatione
in caritate denique patriæ
amore Ecclesiæ
zelo Reipublicæ
quem illi prælatum putem!

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lectori Christiano
S. P. D.

HERMANNUS von der Hardt.

EX præclara *consulendi prudentia*, magna erat illo tempore *Cardinalis* hujus, *Petri de Alliaco*, gloria. Non solùm inter *Gallos*, inq; ipsa *Regia curia*, difficillimis Ecclesiæ negotiis tractandis atque conficiendis feliciter ac frequenter erat adhibitus, sive sub *Academiæ Cancellarii* sive *Episcopi Cameracensis* charactere, sed & ab ipso *Pontifice Johanne XXIII.* eam præcipue ob causam ad *Cardinalitiam dignitatem* est evectus. Quin in ipsius *Concilii Constantiensis* ancipiti negotio arbiter pene, certe boni & exoptati successus autor & adjutor cum aliis extitit præcipuus. Ut ab illius ore penderent plerumque & consilia & fata Concilii publica meliora. Integritatem pectoris ac incorruptum pro Ecclesiæ salute studium id abunde declarat, quod, cum à Papa Johanne XXIII. *Cardinalitio fulgore* esset insignitus, fascinari oculos suos non siverit. Quin tanto constantius, animosius, sollicitius Ecclesiæ salutem Cardinalis promovit, quanto se celsiori nomine ad id obligatum majoriq; cum autoritate se illud acturum cognoverat. Imo ipsius Papæ Johannis in hunc Petrum merita non præponderarunt utilitati publicæ, Ecclesiæ & Imperii. Animum æque serenum post adeptos illos honores, os æq; apertum, ab injecto isthoc admirabili bolo, servavit, ac antea præ se tulisse visus. Majoris quippe fuit apud hunc Petrum re-

ligio, quam ſui ſummi promotoris affectio. Quod *Epiſcopus* pronunciaverat, *reformandam eſſe Eccleſiam in Capite & in membris*, idem illud affirmavit atque confirmavit *Cardinalis*. Quod Epiſcopus publice monuerat, *Johannem* 23. Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe oneri, neque ſperandam eſſe Eccleſiæ ſalutem, hoc Johanne præſide: Illud Cardinalis non negavit, quin repetiit, ac tanto confidentius effatus eſt, quanto magis ſe ad Eccleſiæ curam devinctum ſciebat. Quanto proinde propius inſtabat Concilium *Univerſale*, *reformandæ Eccleſiæ ſacrum*, tanto uberius *Eccleſiaſtici ſtatus defectus* denunciare, ponderare, diſcutere, remediaq; ſuppeditare contendebat.

Poſtquam igitur IMPERATORIS SIGISMUNDI prudentiâ res eo devenerat, ut *Concilium œcumenicum* ſub cœlo Germanico *Conſtantiæ* eſſet congregandum, Cardinalis noſter pro impenſo ſuo in Eccleſiam ſtudio denuo quid agendum eſſet in iſthoc Concilio, publice monuit. Atque hæc illa ſunt *Alliacena monita de ſummâ neceſſitate Reformationis in Concilio univerſali*, quæ in principio Conſtantienſis Concilii orbi Chriſtiano ingenue exhibuit, commodis publicis optime conſulturus.

Damus autem hæc, quæ nec impreſſa unquam, nec ab aliis viris doctis memorata vidimus, ex *vetuſtiſſimo MSCto Codice AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.* Habet orbis eruditus quod prædicet, in GERMANIÆ theſauris, ipſiusq; AUGUSTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS ac GERMANORUM REGIS tabulis literariis ea monumenta hiſtorica tot ſeculorum lapſu ſervata, quæ vel oblivio, vel bellorum injuria in aliis regnis deleviſſet. Sub *cœlo Germanico* in Imperiali urbe, *Conſtantia*, res illæ memorabiles olim geſtæ. Haud poſtrema itaque *Germanorum gloria* eſt, illius ævi poſſidere monumenta, quibus tam magnæ res, luculenter plene atque diſtincte olim deſcriptæ, ad oculum & curate exhibentur. *Primum* hoc *in Germania Univerſale Chriſtianorum Concilium*, Imperatoris Chriſtiani autoritate coactum. Primi hujus & incomparabilis exempli uti memores eſſe oportet Germanos, ita *antiqua & genuina ejus teſtimonia* ſupereſſe merito gaudet ſibique gratulatur Germania.

Imperii proinde Romano-Germanici majeſtate dignum judicavit SERENISS. DUX RUDOLPHUS AUGUSTUS, in rebus Concilii illius Conſtantienſis deſcribendis, ac ad poſteritatem propagandis, illa *ſummorum in Eccleſia capitum monumenta literaria* ex tenebris eruere, quæ fata illius temporis ſigillatim & candide exhiberent. Vt conſtet, qui fuerint Eccleſiæ Antiſtites, qui ad Concilium illud convocandum calcar[illegible]lderent, qui momenta tractanda proponerent, modum rerum gerendarum ſuggererent, votisque & conſiliis rem tantam juvarent. Quod tanto magis cognitu neceſſarium, quanto amplius hoc cedit Imperatoris incomparabili prudentiæ illuſtrandæ. Qui non ſuo duntaxat conſilio hæc vel orſus vel aggreſſus, ſed ſummorum Eccleſiæ capitum monitis ſalubribus, precibus ardentibus, votis impenſis, animatus, excitatus, confirmatus, & tantum non compulſus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pulsus. Fecit Imperator, quod ab Ejus Majestate expetebat, expectabat, & prope extorquebat totus Christianus orbis.

Ceterum esse & hoc monumentum *Petro de Alliaco Cardinali* acceptum ferendum, etsi in Codice MSCto nomen desit, multa sunt quæ nuncient. Præterquam enim, quod ipse Cardinalis in ipsius Concilii Constantiensis celebritate publice monuerit, se de Reformatione Ecclesiæ plura jam scripsisse, quæ in tenebris hactenus delituerunt: Genius & stylus totius hujus libri hunc Cardinalem arguit.

Dein eadem sunt momenta hic tractata, quæ supra brevibus notaverat.

Posthæc in laudato MSCto illa immediate huic operi subnectuntur, quæ extra dubium à nostro *Petro de Alliaco* profecta, alibi ab eodem exposita, ex aliis quippe ejus orationibus excerpta.

Quod si lectoris sagacitas alium indagaverit autorem, grato agnoscemus animo. Hoc etiam benignus & æqvus lector nostro dabit studio, quod titulum libri leviter illustrare contenderimus. In Codice enim MSCto VINDOBONENSI hæc habetur inscriptio pro illius seculi stylo: *Avisamenta pulcherrima de Unione & Reformatione membrorum & capitis fienda.*

In *Capita* ac *membra* distinguere, nostriq; seculi palato delicatiori externam formam operis accommodare oportuit, textu ipso religiosissime servato. Ne quid in tam vetustis libris recensendis vel fidei vel operæ vel ornatus desideraretur.

INDEX CAPITUM.

CAP. I.
DE corrupto Ecclesiæ statu circa tempora Concilii Constantiensis.
CAP. II. De tribus Pontificibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. Johanne XXIII. in Concilio Constantiensi removendis, ac bono aliquo substituendo.
CAP. III. De Reservationibus Papalibus in Concilio Const. abolendis.
CAP. IV. Adstringendum esse novum Papam ad servanda Concilii Constantiensis decreta.
CAP. V. De regimine terrarum Papalium non per nepotes & consanguineos, sed alios deputatos tenendo.
CAP. VI. Reservationibus Papalibus subtrahi veris Ecclesiarum Patronis jus patronatus.
CAP. VII. Damna in Romanam curiam ex Reservationibus Bonifacii IX. illata.
CAP. VIII. De Simonia curiæ Ro.
CAP. IX. De multis aliis Reservationum Papalium damnis.
CAP. X. Origo Reservationum & incrementum.
CAP. XI. De officio Ordinariorum Collatorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAP. XII. De Episcopis titularibus olim in Germania existentibus.
CAP. XIII. De Imperatore per Papam juvando.
CAP. XIV. De conversis Principibus Turcis ac paganis juramento obstringendis.
CAP. XV. De expeditione in Palestinam ad purgandam Italiam.
CAP. XVI. De frequentandis Conciliis Provincialibus in Germania.
CAP. XVII. De Episcopis Germanorum consecrandis.
CAP. XIIX. De Gratiis Expectativis Papalibus revocandis.
CAP. XIX. De Dispensationibus Papalibus circa officia sacra repudiandis.
CAP. XX. De alienationibus Ecclesiasticorum bonorum per Papam factis.
CAP. XXI. De commendis revocandis.
CAP. XXII. De Episcopis infirmis Coadjutore sublevandis.
CAP. XXIII. De tribus Pontificibus per Imperatorem sede movendis.
CAP. XXIV. De Reformatione Curiæ Ro. in Concilio Constantiensi.
CAP. XXV. De neglectis magnis Ecclesiæ universalis reformandæ promissis, in Concilio Pisano factis.
CAP. XXVI. De Johannis XXIII. nimia apud Parisienses benevolentiæ captatione.
CAP. XXVII. De callidis Johannis XXIII. artibus, sacrorum officiorum emtores emungendi.
CAP. XXVIII. Johannem XXIII. suis simoniacis artibus ansam dedisse Husso ad oppugnandum sedem Romanam.
CAP. XXIX. Hussiticam sectam sine Reformatione curiæ Ro. deleri non posse.
CAP. XXX. Impensissimum desiderium reformandæ curiæ Rom.

PETRI

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
MONITA
DE
NECESSITATE REFORMATIONIS ECCLESIÆ
IN CAPITE ET IN MEMBRIS,
Scripta in principio Concilii Constantiensis.

EX VETUSTISSIMO MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

CAPUT I.
De corrupto Ecclesiæ statu circa tempora Concilii Constantiensis.

FRequenter in Ecclesia oramus Deum, ut doceat nos terrena despicere, & amare cœlestia. Despicere, id est, in affectione postponere terrena, & amare super omnia Christum. Quid igitur vult dicere, quod ita *Christus*, præcipue *in Romana curia*, *despicitur, & aurum ei præponitur? Et* quare *bonum unionis in universali Ecclesia*, quod præcipue cuncti viri, & quanto principaliores sunt, tanto efficacius quærere deberent, *negligitur?* Cum tamen Christus pro suis Apostolis & Discipulis oraverit, ut *unum* essent. Et Apostolus idem sequens *hortatur Ecclesiam & Ecclesiasticos ad unitatem spiritus* in vinculo pacis: *Unum corpus, unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium.* Et extra *hanc unionem* non est salus.

Aurum olim præstantius arâ in Ro. curia.

Unitas Ecclesiastica spreta.

Quærite igitur jam, vos *Patres in isto Concilio congregati*, cordialiter & audacter, & Dominus erit vobiscum, *in unitate beatitudinis*, cujus electi filii sunt in beatitudine finaliter uniti.

Admonentur Patres in Concilio Const. ad unitatem Ecclesiæ sectandã.

Et quod Christus singulariter tradidit *claves* Petro, per hoc signari voluit *Ecclesiæ unitatem in fide*, ad quam fideles invitavit Christus per hanc singularem clavium traditionem, ut ait Glossa super illo: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Vel quod Petrus Christum filium Dei esse *primum* constanter & manifeste *confessus* est, *primo* ipsus *dotatur clavibus*, & honoratur, & honorari permittitur, ut sic etiam *confitendi Christum* palam & constanter per hujusmodi præmium cæteris *præberet exemplum.*

Unitas Ecclesiæ in fide.

Quare Petro claves datæ.

Nec credendum est, quod propterea beatus *Petrus* factus sit *impeccabilis.* Quia *quamdiu viator fuit, errare potuit* & peccare, pro sui arbitrii libertate. Unde Christum negasse legitur, & quandoq; ad veritatem Evangelii ambulasse non recte.

Petrus nõ fuit per acceptas claves impeccabilis.

Erroneum igitur est dicere, *quod* quis *assumtus ad papatum*, sit ille qualiscunq; propterea *sit sanctus.* Licet *Canonistæ* multis altercentur verbis, quod *sedes* ila Petri aut istum *sanctum inveniat*, aut sanctum *faciat.*

Nemo quia Papa. Canonistæ impugnati.

Legitur enim, aliquem hæreticum aut necromanticum, cupidum aut superbum, aut aliter criminosum, ad papatum fuisse assumtum qualitercunq;.

Pravi aliqui Papa.

Sed

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed quod per talem assumtionem sanctus fuisset factus, mirum est tenere.

Papā eligentibus non esse eam vim spiritus, quæ visa in Matthæi Apostolatu.

Credendum tamen, quod si assumentes vel eligentes talem in Papam haberent potestatem hanc infundendi gratiam, sicut accidit de beato *Matthæo Evangelista assumto ad Apostolatum de publicano*, quod tunc bene procederet illud, quod ipsi asserunt de hoc *Canonista*, ut præfertur. Sed quia quæque ratio firmat pactum, *standum est eo casu factis & non verbis*. Igitur ex quodam stylo & usu veterum obtinuerunt illi, qui dictam sedem occupabant, eis scribi per cunctos Christianos, *sanctissimo* vel *beatissimo patri in Christo*, tali vel tali *summo Pontifici &c.*

Stilus Curiæ Ro. in compellando Pontifice.

Caput II.

De tribus Pontificibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. & Johanne XXIII. in Concilio Const. removendis, ac alio bono substituendo.

In Concilio Const. totius Christianismi unio quærenda.

IN isto *concilio generali* primum principaliter tractandum est, ut efficaciter inveniatur ibi modus & finis, *ut fiat vera unio in tota Christianitate, antequam dictum concilium dissolvatur*, ita, ut non sit nisi unum caput, de quo Christiani concorditer dicere possunt: Ecce, iste est Papa noster: Et cesset ibidem omnis ambiguitas & pluralitas de papatu &c.

Tres Papa contendentes ad cedendum compellendi.

Aptior autem & brevior via est, quoad hoc, ut *tres contendentes nunc simul de papatu*, & in diversis dominiis constituti, non obstante deliberatione & *conclusione Concilii Pisani*, cedant.

Bonus Papa in Concilio eligendus.

Quibus cessionibus factis *eligatur* aliquis *vir scientificus, probus, & idoneus, per præstantiores Prælatos XII*, aut *plures*, vel pauciores, *extra collegium Dominorum Cardinalium*, sed cum eorum concursu, per totum concilium cum plena autoritate ad id deputandos.

Electores novi Papæ in Concilio nō sint Cardinales, sed alii Prælati.

Aliàs autem si *per omnes* talis Pontifex eligi deberet, verosimiliter propter multitudinem; quæ forte ad diversa tenderet, electio ipsa non procederet formaliter, ut deberet.

Duobus Cardinalibus, exemplo Pisani Concilii, electio Papæ non committenda.

Sed caveatur etiam, *ne potestas eligendi* hac vice *in eosdem duos Cardinales* aliqualiter *declinetur*. Quodsi hoc fieret, quod absit, omnino impediretur per ipsos ipsa electio novi Pontificis: Aut unum de se ipsis eligerent. Et tunc forsan esset *error novissimus pejor priori*. Causas vero, quare hoc, quia valde multæ sunt, & multis exosæ, nolui recitare. Quisque tamen prudens & expertus ex se ipso illas concipere potest.

Præterea, si forsan *Angelus Corario* & *Petrus de Luna* ad ipsum Concilium non venerint, nec sufficientia procuratoria miserint ad cedendum pro ipsis, ad id, ut plena unio subsequatur, *poterunt* de *novo citari* ad prædictum concilium. Et illuc, in quacunque forma voluerint, venient. Sicut & incedant in publico & privato, pro beneplacito eorundem, dando etiam ipsis plenam securitatem illic veniendi & ibidem standi & abeundi, si velint: Aut ut *mittant procuratores suos*, cum pleno mandato *ad cedendum* simpliciter & de plano.

Citatio duorum Pontificū, si in Concilio non comparent repetenda.

Quorum si alterum fecerint, & similiter si neutrum horum peregerint, certe propterea *non debet Dominus noster Johannes Papa se reddere difficilem ad cedendum*: Esto etiam, quod bonum & verum jus habeat in papatu: Ut ipsa unio, quæ alias verosimiliter fieri non posset, perfecte dante Domino subsequatur. Et causæ hujus efficaces & multæ sunt valde, aliàs in eodem *Pisano Concilio* per multos Doctores quam celebres luce clarius determinatæ, & sic eas non expedit refricari de novo.

Johannes 23. etiam ad cedendum adigendus in Concilio.

O me felicem, si ipsos *tres* insimul *contendentes* in uno loco insigni in papalibus insigniis aut in divinis insimul stare aut incedere viderem! Quod tunc non dubitarem, quin ipsimet de hoc consensu confusi unionem facere omnibus modis laborarent.

CAPUT

Cap. III.

De Reservationibus Papalibus in Concilio Const. abolendis.

Reservationes Papales omnes tollendæ. Simonia in curia olim Romana. Novum Concilium generale a Const. intra quinquennium celebrandum.

IN omnem autem eventum *reservationes speciales & generales* de Archi-Episcopat., Episcopatib⁹ Abbatiis, & aliis inferioribus dignitatibus & Ecclesiis ac Ecclesiasticis titulis, sive in *corpore juris canonici* sive in *libro Cancellariæ Apostolicæ* conscriptæ, *penit9 removeantur:* Ad obviandum vitio *simoniæ, quod plurimum in Romana curia inolevit*, & aliis multis dispendiis, quæ ex ipsis reservationibus longe lateque per orbem terrarum oriuntur. Aut certe usque ad *finem quinquennii*, quo *iterum fiat generale Concilium*, suspendantur. Ita, ut ipsa universalis *Ecclesia in capite & in membris* ad veram unionem reducatur. Et interim contra illos *ad dispositionem juris communis* in eo statu remaneat, in quo erat, *antequam illæ reservationes* fuerant *adinventæ*. Quo *Romana Ecclesia* sit contenta, sicut ante illarum introductionem stetit vel remansit ad minimum *annis octingentis*, aut circa. Et si bonum est pro utilitate communi, ut sic fiat, bene quidem, sin autem, *in futuro subsequenti concilio* poterit aliud tunc conveniens ordinari.

Romanã Ecclesiam olim Reservationes illas nescivisse.

Ecclesiæ damna ex reservationibus.

Quid enim est utile, ut *sub colore ipsarum reservationum paucæ admodum personæ ditentur, & tota Christianorum communitas depauperetur* & opprimatur? Exhauriuntur enim pecuniæ palatii subtiliter ab avaris. Nempe *ambitiosi nunquam possunt* ab initio *quiescere* vel pausare. Interdicuntur frequenter Ecclesiæ & terræ. Atque alia multa mala propter ipsas reservationes, ut coram, subseqvuntur.

Caput IV.

Adstringendum esse novum Papam ad servanda Concilii Const. decreta.

Novi morbi nova desiderant antidota. Si Papa recedat tandem à Concilii decretis, quid faciendum. Si Papa non servet

ITem, ut firmiter observentur, quæ in hoc concilio salubriter ordinabuntur, pro *integranda* efficaciter & vere ipsa *universali Ecclesia in capite & in membris:* Quia *novis morbis nova convenit antidota præparari:* Statuatur, quod, si quitentur ista, quæ in eodem concilio ordinari contigerit, in toto vel in parte, dicto durante, quanquam modò observarentur per Dominum Apostolicum, illius certitudinaliter apparente veritate, *liceat* eo ipso libere *ArchiEpiscopis* & *Episcopis*, in quorum civitatibus vel diœcesibus illis ordinatis per quemcunque modum aut per quascunque causas insertas literis Apostolicis derogatum exstiterit, ex tunc cum eorum subditis omnibus, absque aliqua pœna, autoritate propria *ab ipsius Apostolici subjectione* recedere, & remanere aliàs juxta juris ordinationem, quousque dictum aliud subsequens concilium fuerit inchoatum, & ex tunc facere, sicut dictabitur in eodem.

decreta Concilii Const. ArchiEpiscopos posse libere Papam deserere.

Quid enim expedit, multa *concilia generalia* celebrare, & in eis *ordinata* non servare. Vidimus enim quoad illud, quod promissa, vota & *juramenta*, Deo & ejus sanctis *ultro præstita*, eis non redderentur nec reddantur, & toties vota & juramenta hactenus pro *integranda ipsa Ecclesia in capite & in membris*, nec non illius facienda unione præstita, penitus non servari.

Decreta Concilii servanda. Promissa Pontificũ de Reformatione non servata.

Cap. V.

De regimine terrarum Papalium non per nepotes & consangvineos sed alios deputatos tenendo.

ITem ordinetur, *quod Apostolicus Episcopus* pro tempore *non debeat terras Romanæ Ecclesiæ regere per suos consanguineos fratres* vel *nepotes*, sed per aliquos pru-

Nepotes Papæ.

prudentes & circumspectos Cardinales, de consilio & assensu Collegii Dominorum Cardinalium assumendos. Omnis enim excessus, qui juxta statuta municipalia quanquam civiliter & modica pœna mulctari seu puniri deberet, per istos fratres, consanguineos vel nepotes, sæpe *avaritia aut alia passione impellente* punitur magis ad ipsorum fervorem & voluntatem, quam lege aut ratione. Nec audent gravati conqueri vel ab eis, qui eos gravant, appellare. Quia si contrarium teneant, non audirentur, sed aut fortius aut severius punirentur.

Iniqvum regimen nepotum Papæ.

Propterea datur occasio ipsis subditis immediate prædictæ Romanæ Ecclesiæ sæpius *rebellandi*, & necessitate cogente nova dominia admittendi. Unde guerræ & maxima pericula animarum & corporum multoties subseqvuntur.

Unde seditiones Italicæ.

Caput VI.

Reservationibus Papalibus subtrahi veris Ecclesiarum Patronis jus patronatus.

PRæterea per obitum illius quondam impii *Ladislai Regis Siciliæ* adeo grata tranquillitas eidem Romanæ Ecclesiæ orta est, ut *ipse Apostolicus*, si velit, possit in pace *terras Romanæ Ecclesiæ gubernare* cum maximo ejus emolumento. Ad quid igitur *vult gravare Ecclesias & clerum*, sibi subjectum, seu in ejus obedientia constitutum per istas *infaustas reservationes generales?*

Ecclesiæ reservationibus gravatæ.

Quæ etiam in *ordinariorum collatorum* cedunt gravissimum *detrimentum*. Et sic obedientes Domino Apostolico Ecclesiastici Prælati & Ecclesiastici collatores, quos Dominus Papa merito diligere & honorare deberet, per hoc *beneficiorum Ecclesiasticorum collatione fraudantur*, & ex obedientia sua damna reportant, cum nimis inæqualiter ipsa beneficia reservata in Romana curia reserventur.

Veri Ecclesiarum Patroni jure suo privati.

Item bonum est, ut ordinetur in eodem concilio: Quod *nullus Dominorum Cardinalium habeat inter commendas aliquem ArchiEpiscopatum aut Episcopatum* nec non *abbatias*. Quia per tales *commendas* destruuntur in spiritualibus & temporalibus ipsi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Abbatiæ, & *per mercenarios gubernantur*, ita, ut oves illic nesciant pastorem, quem sequantur. Et infinita peccata propterea committuntur. Scilicet vivunt ipsi Domini Cardinales de reditibus Capellanorum, Cardinalatus, & aliis eorum proventibus. Ut quilibet eorum aptet te, prout convenit etiam communitati pro ejus statu tenendo.

Commendæ Cardinalium variæ.

Ecclesiæ damna ex illis commendis.

Quid enim valet illa *mirabilis pompa*, quod, qui forsan hodie contentus erat etiam in publico incedere cum uno clerico, scilicet in crastinum fortuna annuente *factus Cardinalis*, vix ei sufficit orbis terræ, & vult incedere ita pompaciter, ac si exercitum secum duceret ad præliandum. Cum tamen non possit plus consulere in magno apparatu exercitus, quam consuluit, dum erat in minoribus constitutus.

Cardinalium pompa taxata.

Caput VII.

Damna in Romanam curiam ex Reservationibus Bonifacii IX. illata.

NEc est omittendum, quod per ipsas *infaustas reservationes quondam Bonifacii IX*, in ejus obedientia nuncupati, quia ipse & ejus satrapæ, qui apud eum manebant, *nimis* erant *cupidi ad extorquendum pecuniae* qualitercunque à subditis in eadem obedientia, pro ArchiEpiscopatibus, Episcopatibus, Abbatiis, & aliis inferioribus dignitatibus, ac Ecclesiasticis titulis conferendis: Primo Angliæ & postea Ungariæ regna, nec non successive quas-

Nimia in Bonifacio IX. auri cupido.

quasdam alias provincias, abalienarint. De quibus præprimis *multas* valde *pecuniarum summas* trahere consueverant ipse & ejus Cardinales, ex impetratione hujusmodi ArchiEpiscopatuum &c.

Emolumenta abusu perdita.

Illa tamen *emolumenta* pro majori parte postea *perdiderunt. Nescierunt* enim *uti modis*, in talibus dudum teneri consuetis.

Multi Ecclesiastici in variis regnis subduxerunt Ro. curiæ.

Et ex tunc usque in hodiernum diem *de illis regnis non accesserunt* nec accedunt *clerici ad impetrandum Ecclesiasticos titulos in Romana curia*, sed fuerunt & sunt quodammodo facti acephali & non obedientes debito vicario Jesu Christi. Sicut flumen extra suum naturalem alveum ductum, ad eum postea difficile reducitur.

Culpa præsidum Ecclesiæ.

Et hujus erroris *dant occasionem illi, qui præsunt*, qui deberent tanquam fideles & prudentes servi, quos constituit Dominus super familiam suam, prudenter & liberaliter omnia spiritualia & Ecclesiastica dispensare, & non dicere aut sequi illud, quod legitur de Juda Iscariot: *Quid vultis mihi dare, &c.*

Caput VIII.
De Simonia curiæ Ro.

Contractus Simoniaci in curia Ro.

NUnc enim omni die, Dei timore & hominum pudore postpositis, in eadem curia plures *clerici & laici* mediatores per se verè *contractus Simoniacos faciunt.* Omnia enim publice impetrare volentibus, Ecclesiasticos titulos maxime, reservantur. Quia *ibi Plato jubet quiescere.* Et conveniunt insimul illic *paciscendo* emtor & venditor, ac si aliquid prophanum emere aut vendere vellent.

Pauper in curia Romana invenit parumper.

Igitur *qui non habent*, aut habentes sed nolentes super talibus paciscì, *non possunt illic aliquod Ecclesiasticum beneficium obtinere*, ubi adhæc omnis justitia & caritas & misericordia sunt exclusæ.

Sed numquid est aliud omnibus Christianis pessimum & horrendum exemplum? Et, si hoc vigeat *in capite*, per consequens quid *in membris* observetur in talibus, potest quis venari.

Cum scriptum sit in Evangelio: *Gratis accepistis, gratis date:* Si non detur gratis, gratia non censetur. In legibus autem dicitur inter multa de hac detestanda materia: *Quis demum locus tutus erit, si venalia Dei templa pecuniis expugnentur?*

Venalia Dei templa pecuniis expugnata.

Quantum autem illud *vitium Simoniæ* in omni jure sit damnatum & pœnosum, & ab omnibus merito fugiendum, per infinitas Scripturas patet aperte.

Simonia damnata.

Et cum ita sit, quare ipsa *Simoniaca rabies* ab eadem curia non fugatur? Quia nil prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.

Cap. IX.
De multis aliis Reservationum Papalium damnis.

Clerici Bohemiæ se Ro. curiæ subduxerũt.

ETiam propter *avaras* istas *reservationes*, quæ semper augentur, retraxerunt & retrahunt *se clerici Siciliæ, Bohemiæ, Daciæ & Svvetiæ* regnorum ab impetrationibus Ecclesiasticorum beneficiorum in curia prædicta. Per quod paulatim læditur in ipsis Christianorum regnis *observantia*, & illius gloriosa dignitas, quæ ad ludibrium seu nihilum reducitur.

Numquid igitur melius & salubrius est, ut ipsæ *reservationes* aut *omnino tollantur*, aut ad tempus prædictum, scilicet quinquennium suspensæ quiescant, ut sic exclusis dictis reservationibus, atque remotis illis *avaris obstaculis*, dicta universalis Ecclesia consequi possit ipsam veram unionem. Quod aliàs verosimiliter nunquam fiet. Quia *quæ nimis apparent retia, vitat avis.*

Reservationes tollendæ.

Sed nihil quoad conſcientias periculoſius eſt, quàm taliter ambire aut conſequi Eccleſiaſticas dignitates. Quia illi, *qui taliter cathedras acquirunt*, vocantur *fures* & *latrones*. Et hujus redditur ratio in Evangelio: *quia per oſtium non intraverunt, ſed aliunde*. Per oſtium autem intrare eſt, ſcilicet ut per virtutes & libere, & *non per pecuniam*, & *non ut præſit, ſed ut proſit* promovendus, & ne per *pacta* præcedentia *pecuniaria* vacantibus ſedibus quis præficiatur.

Fures in Eccleſia.

Præſunt non proſunt.

Præterea *per iſtas* peſſimas *reſervationes totus ſtatus Eccleſiaſticus à capite usque ad membra turbatur* & pervertitur. Fiunt enim illis cauſantibus *mercaturæ* peſſimæ, & *excluduntur electores ordinarii*. Ita ut aliquando alicui præpoſituræ vel alteri dignitati Eccleſiaſticæ, quæ indiget potenti & nobili rectore ad gubernandam ipſam bene in ſpiritualibus & temporalibus, illo excluſo præponatur *aliquis modicæ ſcientiæ*, vel *ſimplex homo, propter viles pecunias*, ut illa qualitercunque obtineat, & gubernet, placeat etiam aut diſpliceat cuicunque.

Reſervationes turbarunt totum ſtatũ Eccleſiaſticum.

Mercaturæ ſacræ.

Viles pecuniæ faciũt ex ineptis magnos Epiſcopos.

Item per easdem reſervationes omnis *charitas*, quæ dependere debet à capite ad inferiores Eccleſiaſticos Prælatos, *tollitur*. Nam *ſicut eſt gaudium Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, ſic *eſt gaudium in Romana curia de Prælatis* tunc cathedræ *morientibus*. Et cum auditur mors illorum, tunc dicunt illi, qui ex hoc lucra ſe conſequi ſperant, *ſerenata eſt conſcientia noſtra*.

Charitas extincta.

Gaudium Romanorũ ex morte Prælatorum.

Et ſi *aliquis ſanctorum* de cœlo deſcenderet, ſeque alicui cathedræ, videlicet monaſterio vacanti, & præſertim in reditibus præfigi peteret, in curia prædicta *nequaquam* ille ſuper hoc *audiretur, niſi paciſceretur & ſolveret ante omnia pecunias*.

Sanctus è cœlo non fieret in Eccleſia prælatus ſine auro.

Et ſic virtutes & ſcientiæ non habent ibi locum in talibus perſe tantum, niſi eis adſit *pecunia copioſa*. &c.

Virtus nulla ſine pecunia.

Propter quod *taliter* in ipſa curia *promoti*, hoc in effectu ſentientes, *æque non diligunt promotores* eorum, imo ipſos plerumque *oderunt*, ſicut ovis naturaliter odit lupum. Et maximè, quod illæ *promotiones* niſi *mediante pecunia* prodierint: Quam ſi non dediſſent ipſi promoti, nullatenus in eadem curia intentum ſuum conſecuti fuiſſent.

Promotores habent odio.

Item *per* easdem *reſervationes* valde ditantur *mercatores Italici*, qui in diverſis locis inſignibus per mundum, in talibus ſtipulantur, ut qualitercunque ditentur. Sed provinciæ, in quibus Domino Papæ obeditur, propterea eorum pecuniis paſſim deſtituuntur, & privantur: Quia *generatio unius eſt corruptio alterius* manifeſte.

Promotiones Clericorũ fuerunt aurifodinæ Italorum.

Item *propter* ipſas *reſervationes* contingit, valde *multa monaſteriorum*, potiſſimum in ipſa Italia, ſuis Prælatis deſtituta, *deſtrui*, & *bona* illorum *ad prophanos uſus* ſucceſſive *redire*, aut aliàs illicite occupari, bonum obedientiæ negligi, vel tolli continue, atque plerasque regulares perſonas extra ſua loca regularia evagari, proprietarios pecuniarum & ſuis ſuperioribus inobedientes fieri, ſicque diſciplinam regularem & *divinum cultum* per conſequens in monaſteriis & aliis locis univerſalibus *deperire*, quod ſic vivatur. Nam pauci monachi habent pecunias, qui juxta plenam profeſſionem non poſſunt habere ſaltem proprium in privato, nam contra ſanctionem graviter peccarent. Nunc autem nunquam providetur alicui vacanti Eccleſiæ vel monaſterio de perſona cujuscunque & quantumcunque ad id utilis & idonei in prædicta curia, niſi ſtipulatione & ſolutione pecuniæ præcedente. Scilicet deficiente cauſa deficit effectus.

Ruunt templa, dum reſervantur beneficia.

Ideo etiam *pannoſi presbyteri ſeculares* præſumunt tales abbatiales dignitates, *mediante Angelo* vel *Petro*, aut in titulum vel commendam ab Apoſtolico cauſa lucri captandi iſtis temporibus impetrare. Sed qualiter per illos proficiant ipſa monaſteria & loca religioſa, ſane intelligens quisque per ſe concipere poteſt. Quia quemadmodum cautum eſt, quod in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumſit, ſic nec præficiendus, qui ſubeſſe non novit.

Presbyteri pannoſi Abbates lucroſi.

Item ſi *tollantur* aut *ſuſpendantur uſus ad*

ad quinquennium prædictæ *generales & speciales reservationes*, ex hoc cito sequetur, ut sperandum est, vera unio in Ecclesia Dei universali, sive prædicti *Angelus* & *Petrus* cedant, sive non. Quia tunc prælati & Ecclesiasticæ personæ, in ipsorum *Angeli* & *Petri* obedientiis existentes, ipsas, tanquam eis nimis onerosas verosimiliter omnino dimittent, & ad ipsam obedientiam, in qua cessarunt reservationes illæ, & ubi per eas gravari non timent, subito declinabunt. Maxime cum ipsi *ordinarii collatores* tantæ libertatis beneficio gaudere potuerint. Et sic ipsi *Angelus & Petrus* confusi & reveriti soli & vacui per consequens manebunt.

Per istas enim reservationes *excluduntur ordinariæ electiones*, super quibus tot *jura* prodierunt. Quæ propterea *inutiliter membranas maculant*, quia eis exclusis, *Papa, quem vult, promovet*: Sit utilis vel inutilis ad regimen Ecclesiæ, cui præficitur. Cum in jure cautum sit, quod *nihil* sit, quod *Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum.*

Jura membranas maculãt.

Indignos aurum facit dignos.

Caput X.

De origine Reservationum Papalium & incremento.

Bonifacii VIII. inventum. Romanũ Imperiũ depressũ.

Præterea prædictæ *reservationes* pro parte *inceperunt* à tempore, quo *Bonifacius Papa VIII* Romanam tenuit cathedram, jam centum aut circiter annis elapsis, tunc *Romano imperio depresso vehementer.*

Sed *Johannis Papæ XXII*, & *Benedicti XII* & *Clementis Papæ VI* temporibus, quibus Romana curia stetit in Avinione, & tunc existente schismate in Romano Imperio inter quendam *Ludovicum de Bavaria* & quosdam alios potentes, quibus contra ipsum Ludovicum isti duo Pontifices, scilicet *Johannes* & *Clemens*, successive *fecerunt* valde *multas reservationes*, quæ prius inauditæ nec factæ fuerunt, & vires paulatim per totam Christianitatem assumserunt: Tunc etiam Ecclesiæ cathedrales, ac monasteria virorum, istorum summorum Pontificum etiam Curiæ de novo introducta, & facta sunt juxta beneplacitum eorundem, nescio ad quid vel quare. Potuissent enim, si voluissent, in suis terminis quoad hæc bene fecisse, prout steterunt forte centum & plures summi Pontifices ante ipsos *sine gravamine* saltim ita *generali ordinariorum collatorum Ecclesiasticorum.* Qui quidem præcedentes summi Pontifices talia non præsumserunt facere aut excogitare. Attamen vixerunt per eorum tempora absque tot & tantis Ecclesiarum & monasteriorum eis subditorum gravaminibus & pressuris.

Imperator Ludovicum Bavarum oppugnarunt duo Pontifices.

Reservationes aulæ, novæ adversus Imperatorem machinæ.

Præcedẽtium Pontificum modestia, serenionis fortunæ regula.

Et sic iterum ista *gravamina*, quæ ita impediunt veram unionem ipsius Ecclesiæ, sunt, prout dictum est, aut totaliter *resecanda*, vel saltem ad tempus congruum *suspendenda*, ne, ipsis reservationibus causantibus, Christianitatem undique laniatam ingrediendi Anti-Christo demum liber pateat aditus seu ingressus.

Caput XI.

De officio Ordinariorum Collatorum.

Sic etiam *ordinarii Collatores* prudenter & bene disponant de beneficiis eorundem, ita ut illa *dignis conferant*, etiam personis competenter *literatis*, & gratis, nullo munere aut pacto intercedente.

Dignis officia sacra conferenda. Literatis. Gratis.

Et poterit iste *ordo* servari, scilicet quod, quicunque *ordinarius* deprehensus fuerit semel aut bis facere, ut absit à præsentatione seu collatione suorum beneficiorum, *ipso facto suspensus* sit, & *devolvatur* ejus *potestas* in hoc *ad diœcesanum*: Et si etiam ille in hoc delinquat, tunc *ad loci metropolitanum*: Et si ille similiter excedat, tunc ab eo *potestas conferendi omnia beneficia*, ad ejus colla-

ne munere munus.

Pœna juris patronatus male exerciti.

Abusu tollit jus.

collationem pertinentia, *ad Dominum Papam* transferantur eo ipso, quousque dictum aliud concilium postea celebretur.

Et si prematur in eo, quo deliquit, imputet sibi, quia debitum juris ordinem non servavit, cum jure caveatur: Videlicet, *Indecorum est, ut hi debeant Ecclesiasticos regere, qui non norunt gubernare se ipsos. Cum ad Ecclesiarum regimen talos personæ sint admittendæ, quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate.* Et alibi dicitur in Jure: *Grave nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promovere, recipere non verentur indignos.*

Regiminis Ecclesiastici regula.

Nec debent ipsi ordinarii collatores uni plura Ecclesiastica beneficia conferre, juxta illud canonicum: *nos attendentes, non esse conveniens, ut idem presbyter locum in duabus Ecclesiis habeat.*

Unus uno beneficio Ecclesiastico sit contentus.

Item, quod omnes Archi-Episcopi electi, & inferiores Ecclesiastici Prælati, quilibet videlicet eorum, juxta dignitatem ipsorum, teneatur *officiales* habere *bonæ conditionis & famæ*, ac *vitæ laudabilis*; In jure canonico graduatos, non exactores importunos, ut fieri sæpe consuevit. Et qui sic fecerit, eo ipso sit judicandus effecto omnino suspensus, & ad superiorem immediate id devolvatur.

Officiales caveant vitiis.

Et qui teneantur gratis dare formatas & ordinare. Quod *nihil pro collatione ordinum exigatur* aut recipiatur ab ordinariis & officialibus eorundem.

Pretium pro collatione non exigendũ.

CAPUT XII.

De Episcopis titularibus olim in Germania existentibus.

CONsueverunt etiam in totum *Episcopi Germaniæ* habere *Episcopos titulares*, qui exercent pontificialia pro ipsis, quorum plerique rodunt clerum & populum indiscrete, & sunt importuni exactores, *ordines sacros* & omnia alia *pro sola pecunia facientes.* Expediret, ut eis in ipso concilio regula daretur super hoc limitationis providæ, quam excedere non deberent. Ipsi enim *emunt exercitium* illud *spirituale* ut plurimum, & postea *rodunt alios pro libito voluntatis.* Propterea que animarum pericula plurima subsequuntur.

Episcopi titulares erant plebis exactores. Pecunia parat munia.

CAPUT XIII.

De Imperatore per Papam juvando.

ITem bene expediret, pro *reformatione in temporalibus Romanæ Ecclesiæ & Imperii*, ut fieret liga & confœderatio fortissima & indissolubilis, quantum fieri possit, inter Papam & Regem vel Imperatorem, scilicet, quod mutuo & fideliter sibi vellent suffragari, ac *jura Ecclesiæ & imperii* hujusmodi *occupata* pro viribus *recuperare*, exclusis omnimodo exinde tyrannis quibuscunque, sicut olim sæpe factum est inter summos Pontifices ac Imperatores vel Reges Romanos, qui tunc fuerunt.

Desiderata Papæ & Imperatoris consensus.

Jura Imperii & Eccl. recuperanda.

Quia quoad hoc *Dominus valde posset ipsi Imperio suffragari, si vellet*, ponendo strictissime Ecclesiasticum interdictum in civitates & dominia illorum, *qui civitates & jura imperialia in Italia occuparunt*, etiam cum gentibus armorum & alio favore *Imperatorem* ad hoc *juvando.* Aliàs frustra Imperator niteretur illud in ipsa Italia attentare. Et *sic posset eò salubrius & melius Imperator ipse Ecclesiam & Ecclesiasticos in eorum juribus defensare.*

Papa imperio deberet subvenire. Jura Imperialia in Italia occupata. imperator suis juribo potitus Ecclesiam rectius defendet.

CAPUT

CAPUT XIV.

De conversis Principibus Turcis ac paganis juramento obstringendis.

Baptismũ quærere propter principatum.

ITem expediret Christianitati, ut statueretur de novo, quod omnes *Saraceni* vel *pagani*, *qui propter principatum Christianum adipiscendum se faciunt baptizari*, ante omnia *præstarent* regulariter *juramentum*, quod habetur aut haberi consuevit in aliquibus quaternis Cancellariæ Apostolicæ, *Romano Pontifici & Imperatori*, quod nunquam sanciant confœderationem cum aliquo infideli, vel schismatico, ac solenniter abjurarent etiam errores pristinos eorundem.

CAPUT XV.

De expeditione in Palestinam ad purgandam Italiam & Europam.

Expeditio in Palæstinam est purgatio malorum per Italiã & Europam.

ITem expediret, prout factum fuit in Claromonte in Alvernia tempore Urbani Papæ II, sub *Henrico V Imperatore* hujus nominis, tunc etiam schismate in Ecclesia Romana satis magno & enormi vigente, quod indiceretur *generale passagium pro liberatione terrestri è manibus Saracenorum*, & ad id per triennium recolligerentur decimæ in tota Christianitate.

Et tunc forte *purgarentur* per hoc præcipue *Italia* & *alia* propinqua Christianorum *regna* de *multis malis hominibus*; qui in eis sunt. Tunc proficiscerentur illic: Et sic Deus placatus iterum cito daret populo suo, ut sperandum est, pacem, & uniret suam Ecclesiam citius: Pro ut tunc factum fuit, mediante illa gloriosæ memoriæ comitissa Machildi, quæ tot bona temporalia tunc ipsi obtulit Beato Petro Apostolo in basilica sua urbis ad majus altare.

Ad quid enim est utile, quod aliquibus Regibus in eorum regnis talis *decima* per Apostolicum quandoque concedatur, in fructus, per hæc alios turbent reges & præsides Christianos.

CAPUT XVI.

De frequentandis Conciliis Provincialibus in Germania.

Raro olim inter Germanos Concilia provincialia. Unde varia damna. Stulti quidam clerici. Nulla reverentia episcoporũ à suffraganeis, quia hi nõ promoti ab episcopis. Lucra ex sacris.

ITem, quod *in Germania* forte intra centum annos vel citra non reperitur, quod fuerint *provincialia concilia* celebrata. Unde combustiones villarum ruralium, & parochialium Ecclesiarum, quæ sunt in illis, destructiones, rapinæ, sacrilegia, & alia infinita mala, quæ guerræ producunt.

Claves etiam quibusdam stultis non sanæ mentis committuntur. Quare propter hoc modica vel *nulla reverentia habetur metropolitanis* à suffraganeis eorundem: Nec ipsis metropolitanis præstant obedientiam vel fidelitatis juramentum, *ubi suffraganei suis metropolitanis affirmant*, *quod per Apostolicum sint promoti*, & sic se nihil habere negotii cum metropolitanis ejusdem. Et quia forsan interim nullus hic metropolitan' suam provinciam visitavit.

Ex quo etiam sequitur, quod plures occupaverint & *occupent* interim *cathedrales Ecclesias*, quod sint *quasi milites seculi*, nec habentes sacros ordines, nec incedant ut Episcopi vel electi, *parum de spiritualibus curantes*, nisi in quantum *lucra captare* possint ex illis, pro illorum libito voluntatis omnia disponentes, & negligentes qualiter stent oves illis commissæ quoad conscientias eorundem.

Expedit igitur, ut *in qualibet provin-*

cia Ger-

Frequentanda in Germania Concilia provincialia.

cia Germania celebrentur intra biennium proximum unum, & deinde intra triennium aliud, & semper, *provincialia concilia* à singulis metropolitanis & suffraganeis. In quibus poterunt in talibus, etiam contra prædones & raptores publicos, incendiarios, nec non Ecclesiarum devastatores, usurarios, hæreticos, & sacrilegos, atque violentos, nec non etiam *quoad honestatem prælatorum & cleri*, multa salubria ordinari.

Momenta tractanda in Synodis provincialibus.

CAPUT XVII.

De Episcopis Germanorum consecrandis.

ITem disponatur *in eodem concilio generali*, proxime celebrando, quoad omnes *præsidentes episcopatibus & cathedris Pastorum in Germania*, quod se saltem ex tunc intra annum faciant *ad sacros ordines promoveri*, & minus *consecrationem* suscipiant. Quod si non fecerint, quæcunque sedes ipsa propterea vacet: Eo ipso & non promoti, ab eis nulla obtenta, & forsan in futurum per eos super hoc impetranda, dispensatione papali, in aliquo suffragante. Quia *in talibus providendum est Ecclesiis & non personis.*

Consecrãdi Germanorum Episcopi, aut Episcopatu privandi.

CAPUT XIIX.

De gratiis Expectativis Papalibus revocandis.

Excessus gratiarũ Expectativarum.

ITem exigitur, & expedit, ut Apostolicus *revocet omnes gratias expectativas*, quæ usq; nunc ita *deformiter emanarunt*, & inæqualiter, prout per se notum est.

Nam *prima data* coronationis Domini Papæ, quæ juxta antiqvum ritum solum in primo anno pontificatus sui discretis & paucis suis familiaribus, domesticis concedi debebat: Usque in hodiernum diem omni ordine debito excluso, & in omni loco, ubi Papa interim fuit, infinitis quodammodo concessa extitit. Et sic, qui primi fuerunt in subsequentibus *datis*, in ordine supplicandi facti sunt posteriores, & in adeptione beneficiorum ex talibus gratiis prorsus exclusi.

Abusus primæ signaturæ literarum à coronatione Papæ.

Et infinitæ illarum gratiarum sunt adeo *confusè* & abusive, & non secundum discretionem, quæ in talibus erat observanda, *concessæ*, ut intelligens quisque ne dum doleat, sed miretur.

Præterea licet valde multorum *gratiæ expectativæ sortitæ effectum sub pontificatu Domini Johannis Papæ* moderni, & præterea prorsus extinctæ fuissent: Illæ tamen gratiæ *sub prima data* quoad mirabiles personas *per extensiones mirabiles* & perpetuas factis inauditis hactenus vivificatæ, totaliter *impeditæ fuerunt.*

Artes Johannis 23. sub gratiis expectativis.

An autem liceat talia fieri de plenitudine potestatis, seu absoluta potentia Domini Papæ, mirandum est.

CAPUT XIX.

De Dispensationibus Papalibus circa officia sacra repudiandis.

ITem infinitæ *dispensationes* etiam mirabiles, & sine quibuscunque ordine atque justificatione ad obtinendum *beneficia incompatibilia*, non habito respectu ad personas, quibus concederentur, hactenus emanarunt, cedentes evidenter in divini cultus diminutionem & animarum periculosissimum detrimentum.

Et propterea oportet etiam removere istas *abusivas*, *indiscretas gratias*, & *dispensationes*, verius dissipationes, venientes licet tarde. Quæ sic *ambitionem plurimum augent*, & ipsum divinum cultum diminuunt, & animarum pericula etiam indubitanter adducunt.

Dispensationes dissipationes.

CAPUT

Caput XX.

De alienationibus bonorum Ecclesiasticorum per Papam factis.

Abusus bonorum Ecclesiasticorum, laicis concessorum.

ITem expedit, ut *revocentur* omnes *concessiones & alienationes bonorum immobilium Ecclesiasticorum*, sub quavis forma verborum laicis perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapsum, per Apostolicum factæ: Et provide cavere ne aliæ fiant intra tempus illud, quo aliud generale Conciliũ celebretur.

Cap. XXI.

De commendis revocandis.

Commendæ Ecclesiarum Episcopis titularibus factæ Ecclesiis perniciosæ.

ITem expedit, ut *revocentur omnes commendæ* prioratuum, dignitatum, parochialium Ecclesiarum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, secularium & regularium, *factæ Episcopis titularibus* & regularibus personis quibuscunque per sedem Apostolicam: Et principaliter *omnes dispensationes ad incompatibilia obtinenda, quæ per contendentes tunc de papatu concessæ sunt.* Quarum prætextu etiam cultus ipse divinus negligitur, & animarum pericula subseqvuntur.

Et qualiter & ad quid possit aliquis regularis unum prioratum habere *in titulum* & aliquem *in commendam*, nisi cum suæ animæ detrimento, non video.

Cap. XXII.

De Episcopis infirmis coadjutore juvandis.

Episcopi infirmi non sede detur-bandi. Coadjutor dandus.

ITem, quod nullus *Episcopus* transferatur, propter securitatem vel invaletudinem corporalem, de sua cathedra invitus: Sed ei secundum juris dispositionem de *coadjutore*, cum indigebit, provideatur. Nam Propheta oravit ad Dominum dicens: *Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea*: Nec afflictis afflictio addi debet, ut jure cavetur.

Cap. XXIII.

De tribus Pontificibus per Imperatorem sede movendis.

Unus sit Princeps. Rex publicam rẽ auxit. Plures tyranni ea destruxerunt. Sub multis Judicibus Judæi laborarunt. Unus rex à Deo Judæis datus.

ET ut dixit Philosophus: *Entia nolunt male disponi*, nec est bonum *Principum pluralitas.* Sit ergo *unus Princeps.* Et rursus: *Bonum unum consistit in ordine.* Quia omnia habent ordinem, sed non eodem modo, sicut bonum universum, quod consistit in primo principio, ad quod omnia ordinantur, secundum Philosophum, XII. *Metaphysicor.*

Ordo, regiminis cardo.

Unde quidam prudens dicit: quod *in omni regimine*, quantumlibet etiam amplo, necesse sit, ut *ordo servetur:* Quo dimisso illud corrumpatur, & nutet.

Unus Romanorum

Præterea non est omittendum, verbi gratia, quam diu veteres Romani more *regio* bonum aliquem fideliter procurarunt, per eorum studium Romanorum res publica adaucta & servata est. Sed quia post *plurimi*, inter eorum subditos quidem, *tyranni* aut hostes notati, sicut desides aut imbelles Romanam Rempublicam in nihilum redegerunt.

Similis etiam processus fuit populo Hebraico, qui dum *sub judicibus* regebatur, undique *diripiebatur* ab hostibus, & unusquisque, quod erat bonum in oculis suis, faciebat, *Regibus* verò *eis divinitus datis*, ad eorum inconstantiam, tandem propter Regum malitiam à cultu veri & unius Dei recesserunt. Sic ipsi

ipsi Hebræi finaliter in captivitatem sunt deducti &c.

Plura capita, magna regiminis discrimina.

Quia *dissensio* quoque plerumque sequitur *ex regimine plurium*, contrariatur bono pacis, quod est principium in multitudine sociali. Quod quidem bonum per tyrannidem non tollitur, sed aliqua particularium hominum bona impediuntur, nisi fuerit tantus excessus tyrannidis, ut in totam communitatem desæviat.

Bonũ fortius, si sit unum.

Et contra sicut utile est, *virtutem operantem ad bonum* esse magis *unam*, ut sit virtuosior aut potentior ad operandum bonum: Ita magis est noxium, si *virtus operans malum sit una*, quàm divisa virtus.

Malum damnosiõ si sit unitum.

Virtus autem injuste præsidentis operatur ad malum multitudinis, dum commune bonum multitudinis in sui ipsius bonum tantum retorquet.

Curia Ro. sequitur Imperii vestigia.

Præterea, sive *curia Romana* in ordine debito, sive non reguletur, nihilominus se similiter regulatur. Juxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Præterea beati *Thomæ de Aquino*, & multorum prudentum hæc summa est:

Quẽ multitudo fecit regem, multitudo potest privare regno si male regat.

Quod si ad unius alicujus multitudinis dispositionem pertineat sibi providere de Rege, non injuste ab eadem Rex institutus potest destitui, vel *refrenari ejus potestas, si potestate Regia tyrannice abutatur.* Neque putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiamsi ei in perpetuum se ante subjecerat. Quia ipse meruit, se in multitudinis regimine non fideliter gerens, ut exigit Regis officium, ut ei pactum a subditis non servetur.

Idem judicium de Papa & prælatis sede movendis. Electo Papa ut agat bene.

Igitur multoties *illud potest debetque fieri de Papa*, & quocunque alio *Ecclesiastico Prælato*: Qui, ut legem Dei doceret, & alia bona opera faceret, assumtus est: Si contrarium imprudenter ac publice operetur.

Simplices Canonistæ, qui Papam

Et fatuum, seu erroneum est, tenere contrarium, ut etiam tenent & assumunt *simplices Canonistæ*. Quod ratio dictat in talibus, ut ambulantes in tenebris non viderunt. *Nullus* enim *recipitur ad talem dignitatem, ut agat perverse,* faciatque juxta impetum mentis suæ. Imo si Papa sinistra committat, se de hoc purgare debet publice, ne sic magistri errores satis clare pateant.

moveri posse negent.

Dignitas sacra ne sit sacrilega.

Sic enim Romani *Tarquinium superbum*, quem in Regem susceperant, propter ejus tyrannidem à regno ejecerunt, substituta & minori, scilicet consulari potestate.

Tarquinii superbi fata.

Sic *Domitianus*, qui modestissimis Imperatoribus Vespasiano & Tito successerat, dum tyrannidem exercet, à Senatu Romano interemtus est, omnibus quæ idem perverse fecerat, per Senatum ipsum juste & salubriter in irritum revocatis.

Domitianæ tyrannidis fortuna.

Si vero *est* alicujus *superioris, multitudini providere de Rege, expetendum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam.*

Si superior dedit imperiũ, imperio male administrato consulat superior.

Sic *Archelaus*, qui in Judæa pro Herode patre suo jam regere cœperat, cum paternam malitiam imitaretur, Judæis contra eum querimoniam *ad Cæsarem Augustum* referentibus, quædam primo *potestas diminuitur*, ablato ei regio titulo, & medietate regni sui inter duos ejus fratres divisa: Deinde, cum neq; sic à tyrannide compesceretur, *à Tyberio Cæsare* successore immediato ejusdem Cæsaris Augusti relegatus est in exilium apud Lugdunum Galliæ civitatem.

Archelaũ tyrannis ab Imperatore coërcita.

Ex quo sequitur, quod *semper utile* fuerit & sit *reipublicæ*, ut Catholicus Princeps, scilicet *Imperator Romanus, omnibus aliis Regibus & Principibus ac comitatibus potenter præsideret*, qui eorum tyrannidem, & dum abuterentur recto regimine, coërceret, ita, ut non possent sævire libere & impune in subditos, & irrationabiliter juxta ipsorum operari impetum voluntatis.

Interest Reipublicæ, Imperatorem esse summũ omnis Imperii præsidem.

Sed quamvis deficit multum hodie ista potentia in *Rege aut Imperatore Romano*, propterea tamen non resistendum est à subditis. Quin ut *per eos bonum publicum totius Christianitatis viis & modis omnibus procuretur*, semper ad Deum dirigendæ humiles preces, qui ad bonum effectum velit dirigere *dignitatem.*

Imperii potentia diminuta.

Qui Regis *Ahaveri* crudelitatem reprobans in mansuetudinem vertit, Ipse est, qui *Nabuchodonosorem* crudelem Regem

Ahaveri & Nebucadnezaris crudelitas à

Deo fracta.

Regem in tantam convertit devotionem, ut factus sit divinæ potentiæ prædicator. *Nunc*, inquit, *ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli.* Et illud sapientis: *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Ipse enim est, qui videns afflictionem populi sui in Ægypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonem Tyrannum dejecit cum exercitu ejus in mare. Ipse est, qui memoratum Nabuchodonosorem prius erectum non solum de Regio solio, sed etiam de hominum similitudine in similitudinem bestiæ commutavit. Quia non est abbreviata manus ejus, ut populum suum à tyrannis liberare non possit.

Plurium Paparum contendẽtium lis à Deo per Imperatorem dirimenda.

Ideo constanter agendum est, & divinum auxilium ad hoc humiliter invocandum, ut ista *pluralitate illorum, qui se summos Pontifices appellant*, eradicatâ, vera unio subsequatur.

Johannes XIII. ob tyrannidẽ ab Ottone Imperatore remotus.

Legimus etiam, *Johannem Papam XIII. propter ejus tyrannidem ac vitam inhonestam à papatu fuisse depositum* in alma urbe, autorizante *Primo Ottone Magno augusto, principe providentissimo & vere Catholico*, abrogatis Cardinalibus illius temporis. Convocatis ad hoc clero & populo Romano, & vicinis Episcopis atque Prælatis, vocatus fuit *Octavianus*, (Leo) nobilis genere, sed moribus ignobilis. Fugit autem (Johannes) illo tempore ad Romanos in Campaniam, in aliquibus sylvis cum feris sylvestribus latitando. Ubi postea intra tempora pauca omnium miserrimus ignominiose decessit.

Exitus refractarii Johannis 13.

Nimirum, cum esset *Papa*, in quo principalitas correctionis dependebat, *nolens se reducere ad debitum rationis*, sed vivere satagens bestialiter, & regere tyrannice populum Christianum, finaliter ruit, adeo ut ulterius non resurgeret, qui *bene agendo* per bona exempla infinitis ad salutem animarum *profecisset*, sed contra *per mala exempla plures* secum *traxit* in gehennam.

Boni Pontificis characteres optimi.

Ideo omnium Christianorum interest, ut Catholicus, civiliter & prudenter regens, & multitudinis amator, ac illius bonum quærens, *præsit cathedræ piscatoris*, non publicanus, non exactor importunus, non avarus, sed de quo vere dici possit, *hic est fratrum amator*, qui continuo oret pro populo Dei, & hac sancta civitate, scilicet tota Christianitate, ejus directioni commissâ, non quærens quem devoret, & quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi. Quod ejus requirit officium, quo cunctis Prælatis Christianis se Prælatum fore divinitus, in suis decretalibus, literis & Epistolis asserit, prædicat & affirmat. Sicque *in Dei nomine*, scilicet juxta tantam præsidentiam *virtuose* studeat *operari*. Quia

Turpe est doctori cum culpa redargnit ipsum.

Caput XXIV.

De Reformatione Curiæ Ro. in Concilio Const.

Caput Ecclesiæ infirmum membris est molestum.

Cum *in capite* ita generaliter & publice *infirmitas*, error & excessus appareant, ut etiam per istos membra languescant, ratio non permittit, ut talia *enormia mala* in publicum detrimentum diu perseverent. *Expedit* igitur, *ut ipsa curia in suis membris in ipso instanti concilio reformetur*, scilicet ut ipsi *mercatores & proxenetæ* ac *mediatores symoniaci* à prædicta curia protinus *expellantur*, ad illam nunquam redituri, etiamsi sint cucullati Antistites vel abbates. Quare omnes

Reformãda curia Ro. in Const. Concilio.

Simoniaci fugandi.

officiales, qui non per ostium, sed contra antiquam laudabilem consuetudinem *officia publica* in eadem curia *per pecuniam adepti* sunt, & forte *noluerunt præstare* antiquum & solitum *juramentum*, ab illis ut indigni expellantur, ac digni & utiles eis gratis & liberaliter, undecunque oriundi fuerint, surrogentur pro publica utilitate.

Pro indignis Ecclesiasticis digni substituendi.

Juramẽti neglectus.

Nec non ad decus & honorem sæpe prædictæ curiæ resumant & conservent ad unguem *antiquas consuetudines* ceremonias eorundem officiorum, pro-

Antiquæ consuetu-

dines servanda. ut facere tenentur juxta summorum Pontificum ordinationes super hoc ipsis traditas. Quia turpe nimis est, aliquid *pretio acquirere, quod gratis dari meritis & virtuti debetur.*

Turpe pretium pulsà gratiâ.

Docti neglecti.

Præterea, valde ridiculum est, quod multi venerabiles, graduati in studiis generalibus, etiam non habentes Ecclesiasticos titulos, non promoveantur ad Ecclesiastica beneficia vacantia. Sed *si veniret cum sacco paratus qualiscunque beannus* ad ipsam curiam, & *emere* vellet qualecunque *beneficium Ecclesiasticum vacans*, illud ipsi indilate concederetur: Non discusso prius de ipsius *idoneitate*, scilicet an *sufficienter literatus* & aliàs *idoneus* ad obtinendum illud existat. Sed *ad solam pecuniam*, ac si tantum in illa tota humana felicitas sit inclusa, respectus habetur.

Beannus auratus officio beatus.

Pecunia officii sacri anchora.

Igitur *ille beannus* cachinnatur de illo, qui diu studendo exposuerit proprium patrimonium & adventitia bona, quæ prius habebat: cum *ille beannus* cum *XX. vel XXX. aut pauctoribus seu pluribus florenis*, quos pro illo Ecclesiastico beneficio consequendo sic expenderit in eadem curia, *plus operetur, quam* ille *doctor vel magister*, quantumcunque sufficientis literaturæ, & virtuosus, *absq; pecunia* in hoc. Quicquid etiam sit *contra bonos mores*, imo *turpe* sit, & cedat *in reipublicæ detrimentum:* Cum mundus iste absque scientificis & alias virtuosis viris feliciter subsistere nullatenus possit.

Beannus pecunioso ridet eruditũ pannosum.

Plus sæpe possunt 10. floreni quàm 1000 libri.

Orbis sine doctrina ruit.

Sancte Deus, cur ita tam varie nunc procedunt ista negotia *curiæ* memoratæ, ita ut *in ea ista sancta pecunia dominetur?* Cum tamen *olim* nedum gratiæ, sed etiam literæ Apostolicæ super istis confectæ omnibus *gratis* darentur in illa, atque officialibus curiæ de publico consuevisset per Papam, qui fuit pro tempore, provideri, ne aliquis in ipsa curia eidem *simoniæ* locus esset.

In curia R. regnavit sancta pecunia.

Olim gratis, hodie paratis.

Item licet *registra literarum Apostolicarum* etiam *ab antiquis temporibus* semper consueverint esse *publica*, ita ut per officiales illorum daretur scriptum vel copia de illis, saltem solveretur *salarium:* Veruntamen *postquam Dominus Johannes cathedræ papali præsedit*, illud, quoad valde multa expedita & concessa per ipsum, ex tunc non habuit locum: Sed *occultantur illa registra*, nec alicui petenti datur copia cujuscunque literæ Apostolicæ descriptæ in eisdem. Unde multi obloquuntur, asserentes, quod *sicut fur odit lucem, sic illi officiales timeant pandere* etiam caris sociis & animatis ea, quæ *in ipsis registris continentur*, in in hoc etiam veterem laudabilem ordinem nequiter pervertendo.

Registra publica studiò occultata.

Johannis 23. artes.

CAPUT XXV.

De neglectis magnis Ecclesiæ universalis reformandæ promissis, in Concilio Pisano factis.

Conciliũ Pisanum multa promisit pauca præstitit.

NEc est omittendum, quod dum ageretur, ut *generale Concilium* congregaretur *in Pisis* per collegium Dominorum Cardinalium, *non omnia*, quæ tunc per mundum divulgabantur per literas eorum usquequaque fuerint postea *observata* & observentur.

Promissa Reformatio universalis in Concilio Pisano.

Inter quæ fuerunt nova *vota* & *juramenta*, quod *universalis Ecclesia in capite & in omnibus suis membris* per tunc eligendum Papam & ipsos Dominos Cardinales *omnino reformari deberent.*

Morum laudabilium revocatio definita.

Item quod *veteres laudabiles mores & consuetudines* Romanæ curiæ, quæ durante schismate tunc currente neglecti fuerant, resumi & inconcusse in ipsa curia deinceps *observari* deberent.

Pro quo sciendum est, quod juxta istos mores & consuetudines, etiam diu postquam incepit præfatum schisma, in eadem curia continuatos, quicunque receptus fuit ad exercendum aliquod publicum officium in eadem curia, puta scriptionis literarum Apostolicarum, vel pœnitentiariæ papalis atque auditoris & notariorum causarum summi Apostolici & aliorum, per ordinem huic præstandum, nunquam admitteretur ad illud exercendum, citra *singulare*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Juramẽtum salutare, olim ante indeptum officium præstitũ. Antiquũ Simoniæ antidotũ. Sacra gratis dãda. Clerici sint honesti, experti.

lare juramentum, inter alia *continens, quod ipse ad hoc*, ut *illud officium assequeretur, nihil dederit aut promiserit, per se, vel per alium, etiam neminem sciret, qui pro eo quidquam solvisset, aut promisisset alicui solvendum aliquid, ut tale officium assequeretur*, quodque officium illud secundum ejus nosse diligenter & fideliter vellet exercere.

Et fuit *necessarium*, ut sic fieret, *propter publicam utilitatem*, scilicet *ut ad talia officia reciperentur gratis probi & discreti*, nec non *honesti & bene experti*, qui non exactionarent indebite illos, qui cum eis ratione officiorum haberent agere in curia ipsa, & si secus agerent, ut perjuri & improbi punirentur ac privarentur officiis, prout sæpe factum fuit.

Johannes 23. salubre illud Simoniæ antidotũ abolevit.

Sed sub *pontificatu dicti Domini Johannis Papæ* hoc juramentum salutare *neglectum* extitit, & negligitur. Et eo, & Domino *Vice Cancellario sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, qui habet juramentum recipere à quolibet officiali, dissimulantibus, eorum pace salva, vendita fuerunt & venduntur dicta officia, & *mediante vili pecunia* valde multi, etiam *inutiles* ac *indigni* ad ista officia, ut constat, admissi fuerunt, & admittuntur, absque eo, quod illud juramentum solitum & laudabile præstare cogerentur, aut præstiterint.

Vilis pecunia magnos facit clericos.

Unde *male* ipsa *officia gubernantur*, & plerique officiales excedunt, ut frequenter in statuto eis salario & ultra debitum gravent partes, & alia faciant non dicenda.

Malo clerus malũ Ecclesiæ regimen.

Caput XXVI.

De Johannis 23. nimia apud Parisienses benevolentiæ captatione.

Academia Parisiensis à Johanne 23. beneficiis capienda.

NEc est silentio transeundum, quod ipse *Dominus Johannes Papa*, informatus forsan per aliquos ultramontanos, petentes in sua curia, quod si *universitati studii Parisiensis* petitionibus quibuslibet exorabilem se redderet, tuto regnaret, nec tunc haberet de reliquis suæ obedientiæ in aliquo dubitare: Ipse quodam servili timore adeo mirabiles, & prius à seculis *inauditas prærogativas concessit in gratiis expectativis* per Directorem & Magistros universitatis ejusdem, qui à modo certo numero non comprehenduntur, ut prius obtentis ab ipso per aliquas, nedum aliorum universalium studiorum graduatis, sed etiam suæ curiæ officialibus, quibuscunque & quantumcunque sufficientibus, enormiter derogarit.

Inauditæ prærogativæ concessæ.

Caput XXVII.

De callidis Johannis 23. artibus sacrorum officiorum emtores emungendi.

Sacrorũ officiorũ emtores varie à Johanne 23. elusi.

QUid denique vult dicere? Si vacat aliquod *beneficium Ecclesiasticum* reservatum, *quod aliquis per pecuniam in eadem curia acquirit*, & ibi nunc præsens existit & procurat expedire literas Apostolicas super illo, & credit se forte tutum, ut alteri non vendatur vel concedatur, tamen frequentius illud idem beneficium aut uni vel pluribus tunc venditur, cuilibet tardius. Et tunc *sub eadem data* vel *anteriori* dant, quam alteri venditũ fuit.

Ex quo, quod tunc, si concurrant hi in *datum*, per concursum mutuo se impediant ementes ipsi vel impetrantes idem beneficium, tunc *utitur Dominus Papa aliâ cautelâ*: Tunc fuisse suæ intentionis, quod tali, duntaxat nominando, Angelus vel Petrus dictum beneficium sic vacans voluerit conferre. Et illius gratiam effectum sortiri debere, & alteri factam gratiam non valere. Si autem anticipavit datum, tunc non est opus, quod faciat talem declarationem. Quia tunc prior tempore potior est etiam jure.

Color novus.

Sed ista pecunia, quæ solvitur pro vacante beneficio reservato antequam literæ Apostolicæ alicui de camera Apostolica tradantur, nascitur alio pacto vel colore, scilicet, quod pro mediis fructibus non habuerit nec forsan unquam habiturus sit propter casus varios, qui, ne illud assequatur, occurrere possunt.

Novum auri aucupium.

Pluries etiam contingit, ut scribatur alicui ad eandem curiam, quod tale beneficium vacet, sitque reservatum, revera tamen non vacet: Et venit aliquis ambitiosus, ac *paciscitur* cum aliquo ex mediatoribus ipsis ad hoc deputatis in ipsa curia juxta cursum consuetum, & *deponit pecunias suas*, de quibus pactum factum extitit, apud mercatorem, ut traditis illi bullis papalibus ipse mediator pecuniam recipiat, stipulatam autem statim solvit illam: Sed postquam habuit ipsas bullas, ei innotuit, quod dictum beneficium non vacarit: *Certe propterea isti nihil restituitur de eo, quod solvit.* Et si pepigit, ut prædixi, opus est solvat, aut male habeat, etsi imputet sibi quod illud aliqua causa forsan assequi non posset.

Simoniacorum genius.

Nimirum faciunt *Simoniaci* more imperitorum medicorum, qui nec operantur, nec permittunt operari secundum canones artis. Unde interdum succedit eis bene, & interdum male. Ipsorum tamen errores sunt quam plures, & successus pauci & carnales.

Sed num liceat etiam summæ sedi, & aliquibus ei in talibus assistentibus, sic *homines decipere*, ac exiguitatem pecuniarum illarum sibi taliter acquirere, etiam de plenitudine Apostolicæ potestatis, mirandum est. Scio enim scriptum esse in Evangelio: *Si quenquam defraudavi, reddo quadruplum.*

Caput XXVIII.

Johannem XXIII. suis Simoniacis artibus ansam dedisse Husso ad oppugnandam sedem Ro.

Simonia Joh. 23. occasionē dedit Husiticis motibus.

Item *propter Simoniacam hæresin, & quosdam alios reprobos actus, qui fiunt in eadem curia Romana*, temporibus istis *in regno Bohemiæ* & Moravia sectæ in capitibus & in membris vehementissime pullularunt, & vires assumunt continuo, in damna communia animarum valde multarum. Et multa opprobria, etiam in publico, *Pragæ*, modernis temporibus *in contemtum Papæ Johannis* moderni, propter hoc attentata, etiam super totum ipsum regnum diutius ubique locorum prædicata. De quo *diversi libri* conscripti fuerunt.

Johannes Hus.

Inter alios & unus per *Johannem Huss*, se asserentem *Baccalaureum in sacra Theologia*, qui dicitur esse caput illorum hæreticorum, & præcipuus in regno prædicto, contextus est, qui incipit: *Cum quilibet viator diligere debeat, & fideliter credere Ecclesiam sanctam Catholicam &c.* Qui quidem *liber* per infinita argumenta ita *impugnat autoritatem papalem*, & ejus plenitudinem potestatis, sicut Alcoranus liber damnati Machumeti, quem Saraceni adorant, impugnat catholicam fidem.

Hus si liter de Ecclesia.

Hus Papalem autoritatem impugnavit.

Et sic mala *externa* dictæ *Romanæ curiæ* longe lateque dictam fidem confundunt, & etiam *occasionem* illius erroris præstant. Ita, ut infinitæ animæ Christianorum miserabiliter condemnentur, & fiant per hoc membra Diaboli, quæ prius membra Christi fuerunt.

Cap. XXIX.

Husiticam sectam sine reformatione curiæ Romanæ deleri non posse.

Expe-

EXpediret, ut *hæreses istæ* & autores eorum de Bohemia & Moravia præfatis *eradicarentur* omni modo. Sed *non video, quod illud unquam bono modo fieri possit, nisi prædicta Romana curia prius ad ipsos veteres mores & consuetudines laudabiles reducatur.*

Hussitas non quieturos, nisi Ro. curia emẽdata.

Quia lege cavetur, quod à capite edenda sit ratio. Et *dum caput ægrotat, cætera membra dolent.*

Adhibeatur igitur, quantum possibile fuerit, bona & sollicita diligentia in ista felici congregatione aut *synodo generali*, ut schismate & *abusibus* supra dictis penitus *resecatis* fiat perfecta unio in ipsa universali Ecclesia: Et detur cum hoc ordo, ut reserventur & immobiliter *observentur* per officiales dictæ curiæ, omnes & singulos, *pristini boni mores*, prout fieri consuevit antiquitus tempore unionis, antequam schisma illud inchoaret.

Urgetur Reformatio curiæ Ro. in Concilio Const. conficienda.

Pristini boni mores revocandi ope Concilii Const.

Quod præstante Domino fiet, si *bonus ordo in ipsa synodo* apponatur, omni amore, favore, timore, odio & rancore semotis.

CAPUT XXX.

Impensissimum desiderium Reformandæ curiæ Ro.

QVid tandem vult dicere, quod *sex vel octo personæ* præcipuæ, per quas aguntur talia *in eadem curia* propter eorum *avaritiam*, quæ est *insatiabilis*: Quia ut dicit Salomon: *Avarus non satiabitur*: A vero in totius communitatis Christianorum grandissimum dispendium audeant excedere: Et quod tota ipsa communitas, *talia dissimulando*, illorum *protervia* non resistat, sed videantur sibi faciles & *consentientes*? Saltem Deo sunt de hoc finaliter responsuri. Et tunc videbunt, an prosint eis *somnia* sua.

Avaritia insatiabilis causa omnis mali.

Dissimulantes notantur, Consentientes reprehenduntur.

Deo reddenda ratio.

Et quia omnis *Christi actio, nostra* debet esse *instructio*: *Christus* autem manibus propriis *mensas nummulariorum evertit*, & impios *sacerdotes ementes & vendentes columbas in templo eliminando* illos flagellavit, asserens: *Domus mea domus orationis vocabitur*, designans, quod *Simoniaca rabies & avaritia sacerdotibus & Dei ministris prorsus aliena esse deberet*: Igitur, vos Patres optimi *in prædicto concilio* Spiritus Sancti gratia insimul convocati, sic & vos *mundetis templum Domini de istis avaris proxenetis, & cucullatis sacerdotibus, qui sic vendunt, & autores sunt, ut vendantur Ecclesiasticæ dignitates*, & alii inferiores tituli hujusmodi, qui dignis & bene meritis debentur, nec convenit super illis pecuniam stipulari, aut eos pactis illicitis intercedentibus venundari.

Christi perpurgatio tẽpli Hierosolymitani exemplum ponitur novæ emendationis.

Patres Concilii serio admonentur ad purgãdam Ecclesiam.

Sed cavete bene vobis, quia dictum est: *Omne simile, diligit suum simile & malus malum quæliter cunque supportat*: Ne forsan etiam ob hoc *vitium Simoniæ* in aliquibus vestrum latitans hos *avaros curiales* in illo propterea in dispendium totius Christianitatis ulterius foveatis.

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

PRecibus ac impensis votis claudi decenter præsentem PETRI DE ALLIACO CARDINALIS librum, quisq; pervidet. In *Codice* tamen *MSCto* AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONEN-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

BONENSIS annexa superioribus aliqua, quæ à præsenti opusculo fere aliena videantur. Uti in MSCtis veteribus absque distinctione aut novi libri indicio multa sæpe cumulata apparent, solertis lectoris judicio discernenda. Ne tamen quid omisisse videamur, quod ad historiam pertineat, hic ea subnectere placuit. Quod si conjecerimus, ad superius *Alliacenum opusculum*, Parte VI. exhibitum, hæc esse referenda, augurium tortassis non vanum paritas tractationis & styli argumentique exacta similitudo arguent.

De Papa Johanne XXIII. quod pro vero Papa non sit habendus: Deque boni Papæ characteribus ac virtutibus.

Nunc peto, amantissime Pater, ut aliud dubium mihi velit vestra dilectio reserare. Ecce enim jure vetussimo, veteri, novo & novissimo, *electio summi Pontificis* spectat *ad collegium Dominorum Cardinalium*, ita, ut saltem duas partes illorum illum habere oporteat, qui se asserit electum in Papam, quod non negatur: Numquid ipsi Domini Cardinales pro metu eorum ac præter & contra jura hujusmodi possunt eligere aliquem voluntarie, homicidam vel aliter notorie criminosum, irregularem, defectuosum, seu aliàs inhabilem ad papam? Quia forsan allegabunt, ad justificandum & colorandum factum eorum, quod recognoverint, illum esse bonum temporalem, quia forsan erat expertus in factis armorum, & scivit bene exactionare subditos, nec non collectas instituere, gabellas augere, & plura facere, quæ nec spiritualibus congruunt, nec adhærent: Aut quod elegerint aliquem importunum, qui per fas & nefas efflagitabat electiones & vota eorum, ut quilibet præficeretur in Papam. Et ita factum extitit, ut frequentius importunitas vincit, & Papa efficitur.

Prætexto electi mali Papa.

Et quid ibi subditis, scilicet omnibus Christianis, sit salubrius consulendum, aut objiciendum illi ut Papæ, vel non, vel quid faciendum?

Certe, frater carissime, quod hæc res nimis sit ardua, & vehementer excedat exiguas vires meas, veluti tenebrosa aqua in nubibus aëris, ideo te remitto *determinationi concilii generalis* in proximum colendi, & quid ibidem tibi dicetur, incunctanter observa.

Verum quid sentiam in ea parte, fiducialiter tibi revelo: *Non puto, quod* sit ille *verus & canonice electus Papa*, imo *à Christianis non* sit *pro Papa colendus* vel habendus.

Neque in papatu tali eum temporis longitudo confirmat, quod sit verus Papa. Quia tempus non inducit obligationem. Hoc utique sane ab intelligentibus elicitur ex *dist. 23. cap. 1. dist. 8. cap. 9. Decretal. lib. 1. tit. 6. cap. 6. Clement. lib. 1. tit. 3. cap. 2.* & aliis canonibus & juribus multis.

Hoc etiam totum confirmat, quod *summi Pontifices non debeant esse lucrosi*, nec belligeri, neque exactores importuni, aut publica seu spiritualia temporalibus postponendo: Sed contra, quia sancti per fidem vicerunt regna. Nec debent esse avari, imo largi: Quia beatius est dare, quam accipere, & hilarem datorem diligit Dominus, & eleemosynarii & benigni, non venditores Ecclesiasticorum titulorum, sed ita gratis, dignis & bene meritis cum bono temperamento conferre, ut ipsis congruat illud: *Fidelis & prudens, quem Dominus constituat super familiam suam.* Et quia temporalia sunt accessoria spiritualibus, & non contra.

Boni Papæ virtutes.

Et

Et quid cum tanta solennitate eligetur in Papam, ut habetur in jure? Si ad acquirendum temporalia bona per cœtum Cardinalium in Papam eligi posset: Et talis omni jure Papa esset colendus. Cujus tamen defectus quoad illud essent notorii seu manifesti. Tunc utiq; quilibet capitaneus gentium armigerarum, strenuus & sagax in illa arte, ut quilibet industriosus mercator, vel alter similis, in Papam per ipsos Dominos Cardinales ipsis solennibus, jure utpote superfluis & inutilibus omissis vel non servatis, eligi posset. Quod certissime nullatenus est credendum propter absurdum. Non enim esset honestum, quod agricola callosis manibus sacra tractaret, neque pannosus fuliginosus esset circa sacra, ut dicit Philosophus in Politic.

Sic non decet, aliquem esse Papam, & ea, quæ spectant ad ipsius officium nescire, aut scire, sed nolle formaliter exercere.

Stat igitur illud, quod rarò finiantur felici exitu, quæ debito caruere principio.

Et hæc sit tibi responsio mea, super qua me nolo amplius dilatare. Bene dixisti, amantissime Domine mi, & bene contentor de tuo responso mihi gratissimo, proinde tibi gratiarum actiones refero, corde & animo. Dominus sit tecum, teque custodiat in æternum.

Illa sunt, quæ ad *opusculum Aliacenum De difficultate Reformationis in Concilio Universali* supr. *Parte VI.* pertinere videantur, uti sub finem illius libelli monuimus. Subnectuntur porro aliqua in eodem *Codice MSCto CÆSAREO VINDOBONENSI*, quæ pro ultima *conclusione* præsentis operis Alliaceni, hac Parte VII. exhibiti, haberi possent. Neque verò nostrum fuit loco movere. Sunt autem hæc:

Sincera Contestatio Petri de Alliaco Cardinalis de impenso suo publicæ rei, sacræ & civili, in Ecclesia & Imperio, optime consulendi studio.

ET quia, dum currus catholicæ fidei per abrupta ducitur, expedit, ut omnes Christiani, magni videlicet, mediocres & parvi, manus operarias apponant, quilibet videlicet juxta posse & nosse divinitus sibi datum, ut unio subito Ecclesiastica reducatur: Ideo ego tantillus, vera caritate motus, hæc describere volui, ex quibus elicere plures poterunt, quæ expedirent in eodem sacro concilio, & ea efficaciter sequi & exequi, ut tenentur: Ne à tanto bono, quod ibi dante Domino perficietur, tacendo & dissimulando remanerem prorsus exclusus, & quæ quilibet bonus corrigat, & emendet, prout placebit eidem, salva semper veritate.

Ceterum, ne quid omnino prætermittamus, quod ullam rebus his affundere lucem possit, exhibebimus hic illa etiam, quæ superioribus in *Codice* laudato *MSCto AUGUSTISSIMÆ CÆSAREÆ BIBLIOTHECÆ VINDOBONENSIS* porro sunt subjuncta, geniumque referunt *Alliaci*.

De Romanorum Imperatoris Majestate Supremoque Jure.

FEcit autem DEUS *duo luminaria magna* in firmamento cœli: Majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, *Gen.* 1. Quibus figu-

figurantur *duæ potestates* seu dignitates, quæ sunt *Pontificalis* & *Regalis*. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est, quæ verò carnalibus, minor, ut legitur *Decretal. lib.* 1. *tit.* 33. *cap.* 6. De quibus *Fridericus secundus Augustus* loquitur in hæc verba: *In exordio nascentis mundi provida & ineffabilis Dei providentia, cujus consilio non communicant aliena, in firmamento cœli duo statuit luminaria, majus ut præesset diei, minus ut præesset nocti. Quæ duo sic ad propria officia in regione Zodiaci efferuntur, ut etsi multoties ex aliquo se respiciant, unum alterum non offendat; Imo quod est superius inferiori suam communicet claritatem. Et à simili provisione eademque æterna in firmamento terræ duo voluit esse regimina, scil. sacerdotium & imperium, unum ad cautelam, aliud ad tutelam, ut homo, qui erat in duobus componentibus diutius dissolutus, duobus retinaculis frenaretur, & sic fieret pax orbis terræ, hominum processibus tumultatis.* Hoc autem pulchro & largo protractu deducitur in exordio *Constitutorum* suorum *regni Siciliæ*, quæ incipiunt: *Post mundi machinam.*

Et quodvis sequitur naturam in quantum potest. Sic etiam congrueret, atque omnino mortalibus expediret, ut *istæ duæ potestates* sic *semper mutuis amicitiis & favoribus* insimul essent congregatæ, *ut saltem una alteram non offenderet*, nec ejus statum & gloriam eclipsaret.

Sunt etiam hæ duæ *potestates ab invicem discretæ*, ut patet *Decret. dist.* 97. *ca.* 1. Ubi Bonifacius papa scribit *Imperatori: Ecclesiæ meæ, cui Deus noster meum sacerdotium, vobis res humanas regentibus, deputavit, nos cura constringit.*

Et sicut in spiritualibus *Papa* omnibus præest, ut colligitur ex præmissis, sic *Imperator omnibus in temporalibus major est*, etiam super omnes Reges. *caus.* 7. *quæst* 1. *ca.* 41. Et omnes nationes sub eo sunt: supremus enim est princeps & dominus mundi. Etiam Judæi sub eo sunt: & provinciæ ei subsunt.

Et Papa vocat *Imperatorem dominum suum*; *dist.* 63. *c.* 17. & *caus.* 23. *q.* 1. *c.* 7. Et *Papa* accusatus vel diffamatus de aliquo delicto, *Imperatoris examini se submittit*: 2. *quæst.* 7. *c.* 41.

Et *electio Romani Pontificis ad jus pertinet Imperatoris*: *dist.* 63. *c.* 23.

Et *ab* ipso *Imperatore omnes Archi-Episcopi accipiunt investituram*: *Ibidem.* Et nisi *Archi-Episcopus* vel *Episcopus* laudetur vel *investiatur ab Imperatore*, à nemine consecrandus est: *ibid. c.* 22.

Item Papa supplicat Imperatori, ut cathedrali Ecclesiæ vacanti Episcopus præficiatur, scil. in Reatensi vel Tusculana, quæ tamen immediate Ecclesiæ Rom. subsunt: 63. *c.* 16.

Et *sacra Imperialis autoritas ordinationi Episcoporum est necessaria*: *ibid. c.* 15. Ubi *Papa vocat Imperatorem clementissimum principem.* Et Imperator scribendo Papæ se præponit: *dist.* 97. *c.* 2. & 63. *c.* 33.

Et Imperator Dei minister est, vindex, illi qui male facit & ei qui bonus, juxta Apostolum *Rom.* 13. Item *Prov.* 8. dicitur: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.*

Præterea Romanus Princeps dicitur *princeps communis omnibus post Deum.* Et hunc in finem ei reverentiam præstare oportet, quam qui non exhibet, apud Deum non potest præmia invenire.

Præterea per Imperatorem manifestantur *jura*, quæ *post Deum* affectione humana *diligenda* & *colenda* sunt. Nam Imperium cum Augusti nomine suscipienti *tanquam præsenti & corporali DEO* fidelis est præstanda devotio, impendendusque pervigil famulatus, qui Deo regnat autore. Quia non frustra est instituta potestas Regis: *caus.* 23. *q.* 5. *c.* 18. Unde Regum proprium est facere judicium & justitiam, & liberare de manibus calumniantium oppressos & peregrinos: pupillæ & viduæ, quæ facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, *ib. c.* 23. Ex his, debet furta cohibere, adulteria punire, ipsos de terra perdere, parricidis & perjuris non sinere vivere, filios suos non sinere inique agere, *ibid. c.* 40.

Sed hodie adeo *depressa* est *Imperialis potestas*, ut magis honoretur ac vereatur etiam à maximo usque ad minimum

nimum aliquis *Capitaneus* gentium armigerarum *in Italia*, quàm Imperator vel Rex Romanorum. Sed num hoc sit expediens videant illi quorum interest.

Unum tamen patet, quod postquam Imperialis potentia taliter depressa fuit, non nisi oppressiones & violentiæ, nec non divisiones in universa Ecclesia præsertim in Italia pullularint, nedum statim finis instet earundem. Video, quod illi qui civitates & bona imperii occupant multum sint intenti ad pugnandum contra Saracenos pro recuperatione terræ sanctæ de manibus ipsorum, & succurrendum brachio extento & manu forti oppressis Christianis infinitis per Turcos, Tartaros, Schismaticos & paganos.

Ex quibus infertur, quod *Papa non debeat se intromittere in temporalibus*: Nec econtra Imperator de spiritualibus. *Dist.* 96. *c.* 6. Ubi redditur hujus ratio, videlicet; *Quoniam idem mediator Dei & hominum, homo JESUS Christus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, &c.* Igitur cum oporteat rempublicam armis & legibus conservari, licet Papa ad alterum istorum, scil. quoad legum conservationem, forsan consilium dare posset, ad reliquum tamen commode attendere nequit, nisi per medias personas, quæ qualiter servent Ecclesiam experientia docet. Et semper respublica pro ejus conservatione armis & legibus eget. Quia etiam militaris res legibus in tuto collocata est, quemadmodum ipsæ leges armorum præsidio servatæ sunt.

Unde etiam per Ecclesiasticos prælatos & alias inferiores Ecclesias parvas de præsidiis & possessionibus suarum Ecclesiarum ut eis tuta essent omnia, subjecta Cæsari, pro tempore illi tributum solvere consueverunt. Et conveniens esse tributum, nisi ab Imperatoris benignitate ab his promeruissent immunitatem. Quibus taliter qualiter introductis, sequitur quod intendo.

His in *antiquissimo* isthoc *pretiosissimoq; Codice MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS* alia quædam ulterius attexta videmus ratione materiæ superioribus congrua, ejusdem quidem autoris, ast ex alio fortasis scripto petita. Id quod colligere licet ex sequentibus in istoc *Codice MSCto* obviis, quibus hæc data inscriptio: *Sequitur in eadem epistola.* Ut ex *Alliaci* quadam *epistola* hæc videantur deprompta, fortean Gersoni inscripta, quocum de Ecclesiæ oneribus per literas sæpe multumque egit, quod ex superioribus constat. Memorabile præterea, quod, qui Concilii Constantiensis tempore *hunc MSCtum Codicem incomparabilem* exaravit, intermittere non potuerit, quin lectorem excitaret, atque in admirationem Alliaceni genii, sinceritatis, Zeli ac pro communi bono studii raperet, hoc præmisso charactere: *Nota Zelum, sensum & dictamen hujus autoris.*

De Exactionibus quibus Johannes 23. Ecclesias suo tempore nimium onerabat.

DE tributariis *decimarumque oneribus* hæc conditio summe indecens, imo detrimentosum tam Pontifici quam Imperatori, Romanæ Ecclesiæ & imperio, subditos indebitis & superfluis insauftarum *decimarum* & *gabellarum* oneribus & aliis quibuslibet *exactionum* incommodis & talliis urgeri & prægravari. Nam si in talibus Principibus paternales non vigent erga suos subditos pietatis affectus, frustra aliorum principum erga suos munificentiæ & gratiarum impendia, subjectivæ sortis relevamenta, præstolari videntur.

Qui quo majoris libertatis beneficio, ob præstandæ suorum Principum magnificentiæ dignitatem, merito gaudere deberent, nunc nedum miseræ subjectioni, sed etiam præterea pessimæ addicti servituti & aliis servilioris effectus incessanter multiplicibus execrabilis fati vulneribus aliisque diversis & miserabilibus peccatorum virgis obtunduntur.

Denique rationi absonum & omni ordini videtur adversum, quod cum singularis annuus terrarum fructus sterilitatis incommodis subtrahatur, & negotiandi extra castra & alia loca certa temporalia subditis non vacet facultas, nihilominus *infaustarum decimarum & gabellarum aliarumque importabilium exactionum* ab ipsis subditis expectentur emolumenta. Imo quod super omnia detestandum est, latrunculorum & prædonum variis incursibus multipliciter & incessanter afflicti, nedum bonorum & animalium ac rerum imo personarum suarum quotidie gemunt dispendia, nec est qui eripiat aut protegat multiplicibus & miserandis infortuniis & incommodis sauciatos. Patetque heu! infelices Christiani nominis professores se arbitrari, quoad depravatum principum Christianitatis regimen, ovibus & fidelibus deterioris conditionis, quam extremæ servitutis.

Utinam Christiani, Christianitatis præsertim *Ecclesiastici Principes* attenderent illud *Bernhardi: Si sacerdos pastor est, & populus oves, dignum est, ut à mille appareat ovibus pastor dissimilis.* Si instar mei, qui ovis, fuerit pastor meus, & ipse inermis graditur, vultum gerens deorsum, in terram semper respiciens, & soli ventri interituro pabula quæritans, quo destruimur verè, si venerit lupus, non erit qui provideat, qui occurrat, qui eripiat. Decetne pastorem more pecoris sensibus incubare corporis, hærere in infimis, inhiare terrenis, non potius erectum stare ut hominem, cœlum mente suspicere, quæ sursum sunt quærere & sapere, non quæ super terram.

Sed in nos cadit illud *Seneca epistola 94. ad Lucillum:* Universa philosophia non trahit animis veterem pestem. Nam in malis inveteratis & induratis regressus non patet ad meliora. Et ideo omnes egemus gratiâ & misericordia Dei, ut induratos nos caritatis suæ flamma molles faciat. Quia difficile est consueta relinquere.

Sicut Ecclesiasticorum principum illo tempore negligentiam vel etiam in subditis suis exhauriendis nimiam severitatem corripuerat *Alliacus*, Johannis XXIII. insatiabilem auri cupidinem aliorum exemplo notans & damnans: Ita porro non intermisit ibidem monere, talem Ecclesiasticum præsidem, qualis Johannes XXIII. loco esse movendum, meliore substituto, uti mox in Concilio Constantiensi factum. In *MSCto* itaque *Codice VINDOBONENSI* postremo succedunt, quæ illud velint. Quæ nec hic præterire fas fuit. In fronte monetur, quod *ex eadem epistola* hæc sint desumpta, unde superiora.

Repetitum Petri de Alliaco Consilium, Reipublicæ Præsidibus suo tempore datum, & in Constantiensi Concilio sancte observatum de Johanne XXIII. Ecclesiæ nimis oneroso sede movendo.

SI modo vacaret discolus & adversus modernos populis præsidentes furtivus malignator, & eorum magnifici & vani, ne dicam infelicis, quoad feralem miserabilium subjectorum oppressionem, status delator, posset ex supra relati antecedentis determinatione, multis non dubito ex ipsis præsidentibus

tibus exosa, sed tamen juri divino & humano ut videtur consona, per modum necessarii consequentis exemplaris inferri sententia: Quâ natura nonnullas bestias, præsertim *apes*, DEI & hominum gratis ministras, intellectu carentes, sed naturali præditas industria, quasi divinitus insignivit. Videlicet: Quod si sensuali & penurioso vel aliàs ad congregandum favum incommodo eis tempore Rex ipse expers laboris, honori vacans, apum ministerio vivens, quasi prodigus & aliis onerosus, repositi favi consumptor existat, ipsum apes non solùm abjiciunt, sed occidunt. Et ob hoc satis mirandum, quod homines adeo intellectu & ratione præditi, suis calamitosis, eos miserabiliter exacerbantibus, nesciunt vel non curant, in non modicam suam & reipublicæ læsæ pernitiem, obviare, seu oportune providere. *Prov.* 2. Vade ad formicam, o piger, & disce sapientiam. *Seneca lib. de Clement. Non pudeat ab exilibus animalibus trahere mores.* Sed quia moderni solis voluptatibus, illecebris, jocis & solatiis vacant, non mirandum, quod ut pecudes se regi & inaniter lacerari permittant.

Hæc sunt quæ in laudato præclarissimo & ob antiquitatem venerabili *MSCto BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS* indivulso nexu cohærent, *Petro de Alliaco*, ut sane apparet, acceptum ferenda. Et *illius* quidem *temporis* misera Ecclesiæ facies & in his sese contemplandam præbet. Cujus miseriæ culpa maxima in *Johannem* 23. devoluta. Qui Ecclesias artibus suis pecuniariis exhauriret, Jura Imperii extenuaret, sicque Ecclesiæ & Imperio maximo esset oneri. Quapropter in Concilio Constantiensi sede eum moveri consultum omnibus visum. *Theodericus Vrie*, *Nicolaus Clemangius*, *Johannes Gerson*, eandem plane cum *Alliaco* nostro exposuerunt sententiam, de juribus Imperii Romano-Germanici per *Johannem* 23. nimiopere violatis Imperio restituendis, de Imperatoris suprema autoritate vindicanda atque conservanda, Ecclesiis denique à nimiis Johanneis exactionibus liberandis. Et hæc omnia Universali Ecclesiæ Reformatione *in Concilio œcumenico Constantiensi* quærenda esse unanimiter affirmarunt. Ut æterna digni sint hi Viri memoria, qui Imperatoris Majestatem ac Imperii Romano-Germanici autoritatem, gloriam, potentiam, jura, tuiti, Ecclesiæ & Reipublicæ salutem impense quæsiverunt.

Nobilissimum hoc
canæ antiquitatis monumentum
De
NECESSITATE REFORMATIONIS
ECCLESIASTICÆ IN CAPITE ET MEMBRIS
IN CONCILIO UNIVERSALI,
exaratum
in principio Concilii Constantiensis
a
PETRO de ALLIACO
Cardinale Cameracense
IMPERATORE
SIGISMUNDO.
Luci datum
Ex antiquissimo *Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
A. M DC XCVI.
Mense Septembri
in Academia Julia
Imperante
CHRISTIANISSIMO
CÆSARE
LEOPOLDO
ANTIQUÆ MAJESTATIS IMPERII
ROMANI-GERMANICI
VINDICE AUGUSTISSIMO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf